



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

XIII. Celeritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



ginta & uno, octingentis octoginta quatuor millibus, nongentis quinquaginta tribus: id est millionibus circiter horariarum leucarum tribus supra quinquaginta. Itaque si illinc molaris devolveretur, etsi millia passuum ducenta in horas singulas impulsu naturali conficeret, ante nonagesimum tamen annum terram non attingeret. Ut vel ob hanc causam accommodatissime Deus in Sacris literis vocetur *Altissimus*, & Christus dicatur *Filius Altissimi*, & ab Angelis *Gloria Deo in excelsis* cantata sit, & Isaias viderit *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*.

XIII. De velocitate autem immensæ *celeritas* illius machinæ vix sine vertigine cogitari seriò queat. *Stellas* lineæ æquinocctialis, scribit Clavius in Sphæræ caput nonum, emetiri hora una milliarium milliones quadraginta duos, trecenta octoginta quatuor millia, quadringenta triginta septem: id est, ut rectè colligit Richeomus, horariarum leucarum milliones circiter quatuordecim. Quantum scilicet eques vix millibus annorum tribus  
confi-



conficiat: quantâ velocitate non feratur glans ferrea, tormento murali impulsa, si septies terram circumvolet, dum semel Salutatio Angelica percurritur. Quod celeritatis in tam vasto corpore miraculum intellectus humanus, quàm velocissima conceptione, sequi non potest. Atque adeo quidam eo miraculo absteriti, alium cælorum situm motumque describere moliti sunt; nec tamen, utcumque cogitârint, incogitabilem prorsus pernicipitatem orbium illorum evasere. Itaque à Vate Regio verissimè dictum Psalmo 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, sermone muto illo quidem, sed aperto ac velociter currente quotidianæ revolubilitatis. Et postquam Deum auctorem, motorem, gubernatorem mortalibus prædicavere, docent illos exemplo suo debitam Supremi Numinis voluntati observantiam. Stellæ enim in custodiis suis dicunt, cum Propheta Baruc, *adsumus, & lucent ei qui fecit illas. Non sibi lucent, sed Deo: nec, si velle possint, aliud velint quàm Deus. Obscuritatem, lumen,*



motum, molem suam amant, quia voluit Deus. Custodiis quæque suis & stationibus fixæ sunt, quia vult Deus. Trepidabunt, si trepidationis motus in cælo est: in oppositum impulsui suo rapiuntur, extinguuntur, corrumpentur, corruent, si volet Deus. Utinam Christiani, quorum conversatio in cælis esse debet, discant loqui linguâ cælorum, & facere verbum Domini, nec præterire præceptum quod posuit.

XIV.  
*Hominis contemplatio.*

Difficilis fortassis quibusdam ea lingua videatur: familiariorem itaque audiamus, & domesticam humani corporis. Sexcentos in illo musculos medici deprehendêre, eorumque officia sexies mille. Ossa trecenta annumeravêre, alia aliis inserta & infibulata: singulorumque officia quadraginta, id est universorum millia duodecim. Osseam compagem spectata, quod σκέλεθς dicimus, & cum medicorum principe eloquentissimum artificis sui panegyricum fatebere. Adde illi arborem venarum, ex hepate nascentium, arteriarum è corde,

NERVO.